

significat decretum nixum rationibus. Porro, quia βελῆ & decreti divini naturam, juxta Røellium, explicat, & à Decreto divino non abesse Sapienciam notat, ergo decreti divini natura hæc est, ut rationibus nitatur, atq; ita, ut, hoc ipso quod rationibus nititur, decretum sapienter formatum esse intelligatur. Viderur quidem Røellius quod hoc pacto concessit, Dei decretum bene subductis rationibus niti, rursus evertere velle, hunc in modum locutus, ac si, quam dedit, τὴν βελῆς descriptionem humanis tantum decretis convenire declarasset. Scribit enim p. 1010. In Deo „locum non habet deliberatio. Ea enim oritur ex ignorantia vel „impotentia, quando vel, quid utile nobis & salutare sit, nescimus; „vel, ad quid vires nostræ sufficiant, quid eas superet, perpendere „debemus. In Deum nec ignorantia nec impotentia cadit; cum „Deus ad decernendum, neq; rationibus extrinsecis moveri & „impelli, neq; vel in decernendo, ignorantia, vel exequendo impotentia impediri possit. Quod si hæc ejus mens est, cur per βελῆ sive consilium à se sic descriptum explicari decretum divinum dixit? Cur βελῆ absolute adeoque generatim, abstrahendo à divino & humano consilio, exposuit esse decretum nixum rationibus? Hæc mutuo se tollunt. Sed nec fieri potest, si humana decreta eo modo se habeant, ut non etiam modo aliquo, cui iste imperfectus, qui in humanis decretis obtinet, umbræ instar assimiletur, à quo autem omnis illa imperfectio, quæ humanis decretis adhæret, quam longissime sit remota, in divinis decretis res se habeat. Competunt enim Deo, Enti perfectissimo, omnes perfectiones in genere Entis, quæ perfectionem cum imperfectione involvunt, eminenter, quæ perfectionem cum nulla imperfectione notant, formaliter. Nec dissentire poterit Røellius ita de Deo „ratiocinatus pag. 268. Comment. Notio Dei, est notio rerum omnium quæ cogitari possunt perfectissimæ. Perfectissimum esse „est, sine ullo perfectionis defectu ullave imperfectionis mixtura „perfectissimo modo esse & operari. Perfectissimo modo esse, est, cum conscientia sui, a se necessario atque adeo sine initio „& causa æternum & immutabilem esse, omnemque perfectionem sine